

secretum meum mihi, subiungens *vae mihi!*¹⁾ Quare ergo sic *insipiens factus sum*²⁾, nisi quia necessitas nonnulla me coegit? Solent enim plerique hominum, quorum non est simplex oculus³⁾ nostris^{g)} vel nostri similibus derogare laboribus et reputare presumptioni vel vanę glorię,
 5 quod scribimus sanctarumque mysteria scripturarum studiose tractamus et propter hoc aliquem in ecclesia Christi honorem sortimur, cum apostolus dicat: *Qui bene presunt presbyteri, duplici honore digni habeantur, maxime qui laborant in verbo et doctrina*⁴⁾. Ego autem testem hunc habeo in anima mea, qui (ut supra memini) *emittit eloquium suum*
 10 *terre et velociter currit sermo eius*⁵⁾, sive *qui respicit terram et facit eam tremere*⁶⁾, quia scribendi facultatem sive ministerium suscepi ab ipso muneri vel gratię eius infusione sensibili; et aliquoties^{h)} cum vellem desistere cedens invidiorum nonnullis dicentibus: „sufficiunt nobis libri“ vel aliquid simile huic, ille me percelluit et nutu supra memorato
 15 concussit trementem quasi sub virga magistri⁷⁾.

16 ^{a)} Quales igitur ex debito gratiarum actiones⁸⁾ offeram illi? Nisi enim modo iam dicto⁹⁾ me prevenisset et intelligens cogitationes meas¹⁰⁾ corripuisset tactu eiusmodi, quasi diceret: *Quis tu, ut timeres ad hominem mortali?*^{10a)}, forsitan hodie non ille Ioseph, cuius dorsum Dominus (ut
 20 supra memini)¹¹⁾ ab oneribus divertit, sed Esau quodammodo similis possem existimari, qui propter quandam impatientiam contemnens vel parvipendens primogenita sua *en morior* inquit, *quid mihi proderunt primogenita?*¹²⁾ Erant autem primogenita illa privilegia quędam et maxime sacerdotii dignitas, cuius videlicet sacerdotii indumenta erant
 25 illę *vestes Esau valde bonę, quas* Rebecca (inquit scriptura) *apud se domi habebat*¹³⁾; de quibus clara est et nota scientia secundum mysticam intelligentiam¹⁴⁾. Quia dona Christi divisiones gratiarum¹⁵⁾ spiritus sancti significant indulta nobis publice et privatim; publice quidem quia Iudeis ablata et gentili populo data sunt, unde et nos *omnes*
 30 *gentes* in psalmo dicimus *plaudentes manibus elegit nobis hereditatem*

g) nostri *M* h) aliquoties *M*

16 ^{a)} c. 16 fehlt *J* b) tu *M*

¹⁾ Isai. 24, 16 ²⁾ Vgl. 2. Cor. 12, 11; *ähnlich in Ruperts Matth.-Kommentar XII. Migne, PL. 168, 1591* ³⁾ Vgl. Matth. 6, 22; Luc. 11, 34 ⁴⁾ 1. Tim. 5, 17 ⁵⁾ Ps. 147, 15; s. o. ⁶⁾ Ps. 103, 32 ⁷⁾ Vgl. dazu Ruperts Matth.-Kommentar, Anfang des Buches VII und XII ⁸⁾ Vgl. Levit. 7, 12; 1. Thess. 3, 9 u. ö. ⁹⁾ c. 15 ¹⁰⁾ Vgl. Ps. 138, 2 u. ö. ^{10a)} Isai. 51, 12 ¹¹⁾ c. 14; Ps. 80, 7 ¹²⁾ Gen. 25, 32 ¹³⁾ Gen. 27, 15 ¹⁴⁾ Vgl. Rupert, *De trinitate et operibus eius, In Gen. VII, 13, Migne, PL. 169, 458 f.* ¹⁵⁾ 1. Cor. 12, 4